



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Dominica xij. post penteco.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

hic humiliantur, sed in futuro exaltantur, sicut sunt pauperes, & illi precipue, qui propter deū omnia sua relinquētes, semetipsos spontanea uolūate humiliant, ut in futuro a dño exaltari mereantur. Ad quorum nos consortium perducere dignetur ille, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN, II. ad Corinth. ij.

Fratres Fidutiam talē habemus per Christum ad deum &c.

**I**N hac lectione uult Apostolus differentiā & distātiā facere, inter Moysen legislatorem & Christum datorem euangelij, inter legē & euangelium, inter doctores legis & doctores euangelij. & ostendit, quia quanta distantia est inter Moysen & Christum, tanta distantia est inter legem & euangelium, inter doctores legis & euangelij. Demonstrat quoque quia nihil sumus, nisi domini misericordia & gratia regamur. Fidutiam, inquit, id est, audaciam & fidem, talem habemus per Christum dominum nostrum, cuius passione redempti & reconciliati sumus. [ad deum.] id est, apud deum patrem, qualem ego dicturus & scripturus sum in sequentibus.

Nō q̄ sufficientes sumus cogitare aliqd a nobis, nisi ex nobis, sed sufficiētia nostra ex deo ē. Hic destruit omnē confidentiā liberi arbitrij, p̄ q̄d multi putāt se posse bonū aliqd agere sine dei gratia. Et idcirco ista omnia ait, ut ostendat nihil boni sua uirtute & prudētia posse cogitare aut facere. Dicit ergo: Nō habemus talē fidutiā uel audaciā q̄ sumus sufficientes, id est, quod possimus cogitare a no-



his aliquid boni nobis pfuturum sine gratia dei sed sufficientia nostra & abundātia nostra ex deo est, qui dat uelle & posse, id est, non solum nō ualemus bonum aliquid perficere sine dei misericordia & gratia præcedente & subsequente, sed nec cogitare. Dei enim gratia nos præuenit ut uelimus, & ipsa nos subiequitur ut possimus. Vñ ex orabat Psalmista, dicens: Misericordia eius præueniet me. Et misericordia eius subsequetur me. Si enim nō ualemus cogitare, quomodo poterimus perficere?

Psal. 50.  
Psal. 22.

Qui fecit nos idoneos, id est, aptos & congruos, ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu, id est, non fecit nos ministros in litera legis, ut predicaremus circumcisionem carnaliter obseruādam, aut sabbati octium, aut neomeniarum uel sacrificiorum ritum celebrandura, sed spiritali intelligentia euangelij, qđ spiritaliter intelligendum est. & cuius obseruatio spiritum sanctum tribuit tempore baptrismatis. Quod autem dicit, idoneos ministros, se aliosq; apostolos idoneos esse ostendit. Idoneus minister est proprie congruus & utilis, atq; illi rei aptus, de qua sermo agitur.

Litera em̄ occidit, spiritus aut̄ uiuificat.

Duobus modis intelligendū est. Litera legis Moisaica occidit hominem corporaliter, iubendo & Exo. 20. non iuuando. Dum em̄ dicit, Non occides, nō aduiterium facies: qui occiderit, uel qui aduiterium aut tale aliquid perpetrauerit, reus erit iudicio: id est, occidetur, igni cremabitur, lapidibus obruetur, in patibulo suspendetur: & non iuuat quomo



do impleatur, proculdubio ipsa occidit hominem, quæ iudicium dat ut occidatur, licet ipsa nō sit causa mortis eius Spiritus autem uiuificat, id est, euangelium quod spiritualiter intelligitur, & quod spiritum sanctum præstat, non solum non occidit hominem in præsentem, sed insuper uiuificat, id est, uitam æternam præstat. Nusquam enim euangelium iubet hominem occidi, sed prouocat post culpam ad penitentiam, promittens uitam æternam. Penitentiam, inquit, agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Aliter ante aduentum domini erant quædam opera legis, quæ a leuioribus peccatis mū dabant suos obseruatores. Verbi gratia, sicut circumcisio quæ originale peccatum tollebat quantum aditum patriæ cælestis non refereret. Et sicut erant multa, pro quibus offerebantur holocausta, & de quibus dicebatur. Si quis hoc uel illud fecerit, offerat arietem aut aliquid tale, & erundabitur. Post domini autem aduentum, in quo completa sunt in ueritate omnia illa figuratiua & umbratica, quicumque uoluerit eandem legem carnaliter obseruare, morietur. Anima enim quæ peccauerit, morietur. Vnde & idem Apostolus in epistola ad Galatas ait: Vere dico uobis, quia sic circumcisa mini carnaliter, Christus uobis nihil proderit. Et scimus quia quibus Christus non prodest, mortui sunt in anima. Qui uero spiritualiter uoluerit eandem legem implere circumcidendo se spiritualiter in baptismo, ubi est uera expoliatio uitiorum, obseruando sabbatum. i. cessando a prauo opere, & omnipotenti deo spirituales hostias offerendo, seipsum quæ mortificando cum uitijs & concupiscentijs: ille uiuit & uiuet in æterna uita. Inde dicit Apostolus: Li

Matt. 5.  
& 4.

Gal. 5.



tera occidit in anima hoc modo, id est, literalis intelligentia legis: spiritus autem uiuificat, id est, spiritalis intelligentia uitam æternam præstat.

**Quod si ministratio mortis.**

id est, lex quæ ministra erat mortis, sicut modi diximus. [deformata] uel descripta [litteris in lapidibus, fuit] subauditur Moyse [in gloria] & claritate uultus, [ita ut nō possent intēdere filij Israel in faciem eius, propter gloriam uultus eius, quæ] gloria uel claritas [euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus, id est, doctrina & prædicatio spiritalis euangelij. [erit in gloria] suis ministratoribus & obseruatoribus? Isto in loco uult ostendere, quæ distantia sit inter legem & euangelium, inter Moysen & doctores euāgelij, sicut iam

**EXO. 34**

supra diximus. Legimus in Exodo, quod Moyses descēdente de monte, facies eius erat cornuta ex consortio sermonis dei, id est, radios quosdā emittebat splendoris sicut sol, intantum, ut non possent intēdere filij Israel in faciem eius. Sed quando egrediebatur ad populum, ponebat uelamen super faciē suam. ¶ Sed fortasse quærit aliquis, quare illi gloriam & claritatem mortalis hominis nō poterant intēdere. Cui respondendum est, quia Moyses sanctus & iustus erat, ideoq; coruscabat, suumq; splendorem ipse poterat ferre: illi autem quæ peccatores & increduli erant, non fuerunt digni contemplari splendorem illius. Sensus igitur iste est: Si Moyses tantam claritatem habuit in uultu, quando legem dedit in populo, quæ ministra erat mortis, quia mortem minabatur, quanto maiorem gloriam habebunt ministri euangelij, qui ui



tam æternam & iusticiã ministrant, quæ uitã æter-  
 nam præstat: multo maiorem gloriam & clarita-  
 tem habebunt, quia eandem claritatem habebunt,  
 quam ostendit dominus in monte tribus discipu- **Mat. 17.**  
 lis, quando uisi sunt cum eo Moyses & Helias in  
 maiestate & claritate. Videbunt enim oculis cor-  
 poris, gloriam claritatemq; clarificatæ humanita-  
 tis filij dei. ipsiq; eandem gloriã habebunt, ut bea-  
 tus Leo dicit, gloriam diuinitatis & totius trinita-  
 tis mente contemplantur solummodo, quia de-  
 us spiritus est, spiritu idem debet uideri. Dicit em̃  
 beatus Leo in expositione illius euangelij, illam  
 claritatem & gloriam non fuisse diuinitatis filij  
 dei, sed gloriã humanitatis, alioqui quomodo est  
 uerum, quod dixit ad Moysen. Nõ me uidebit ho- **Exo. 33.**  
 mo & uiuet, quando illi dixit, Ostende mihi te- **Ibidem**  
 ipsum, id est, inuisibilitatem tuam? Altriori igitur  
 intellectu, Moyses qui ponebat uelamen super fa-  
 ciem suam, ne intenderent in eum filij Israel, signi-  
 ficat ipsam legem, sicut in euangelio dominus te-  
 statur dixisse Abraam ad diuitem: Habent Moy-  
 sen, id est, legem. Velamen illud, significat intelli- **Luc. 16.**  
 gentiam literalem & historicum sensum, quo um-  
 brabatur ipsa lex, infidelitas quoq; & ignorantia  
 cordis Iudæorum. Velamen ergo quod ponebat  
 super faciem suam Moyses, non sinebat illos cer-  
 nere gloriam uultus eius: quia infidelitas & igno-  
 rantia & peccatũ eorũ, literalis quoq; intelligen-  
 tia & historicus sensus, non permittebant illos pe-  
 netrare & intelligere gloriã spiritualis intelligẽtiæ q̃  
 latebat in lege. Quod uero dicit, in gloria & clari-  
 tate Moysi quæ euacuatur: ideo dicit, quantũ ad li-  
 terã pertinet, q̃a Moysen mortuo, facies eius quæ an-



rea splendoris radios emittebat, in pallorem uersa est. ¶ Altriori autē sensu & sublimiori, secundum Augustinum, gloria legis quæ uidebatur esse in festiuitatibus & operibus, euacuata est adueniente Christo, quem illa significabant. Vel etiam pars spiritalis intelligentiæ, quæ a quibusdam intelligebatur, sicut a Moysē, Iosue, Samuel, Dauid, cæterisque talibus, adueniente Christo, in quo completa est, & a quo manifestata est apostolis ex toto, statim ut uenit plenitudo, euacuatum est illud quod ex parte erat, nō ut cessaret penitus & periret ipsa intelligentia spiritalis, sed ut in melius proficeret, atque augmentum caperet. Verbi gratia: Sicut euacuatur infantia & pueritia adueniente adolescentia, & adueniente iuuentute euacuatur adulescentia, dum in melius proficit. In euangelio fit ita: quia euangelium spiritaliter intelligitur ex toto, nec euacuatur, quia æternum est. Si ergo illi qui legē operibus impleuerunt, & ex parte spiritaliter intellexerunt, quæ euacuata est, tantam gloriam habuerunt in presenti seculo, ut terram repromissionis acciperent, uictoresque postmodum suorum hostium existerent: quanto ampliora obtinebunt iusti, qui spiritaliter legē & euangelium intelligunt, obseruant, prædicant & docent, quod nunquam euacuatur.

Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. ¶ Repetitio est, superiori mutato sermone. ¶ Nam si ministratio damnationis gloria est, id est, si lex quæ ministra erat damnationis & mortis, tantam gloriam præstitit Moysi suo ministratori, & cæteris suis obseruatoribus: multo magis abundat ministerium iustitiæ, id est, euangelium quod iusti-



ficat homines, abundat in gloria æterna. Euange-  
 lium ergo ministerium iustitiæ est, quia per illud  
 ministratur nobis iustitia, salus & uita æterna tem-  
 pore baptismatis, sicut dominus dicit apostolis:  
 Ite, docete omnes gentes, id est, ministrare illis euan-  
 gelium. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salu-  
 erit salute æterna, quia mundabitur ab omnibus  
 peccatis, & efficietur iustus. Gloria deniq; euan-  
 gelij, quæ datur ministratoribus suis & obseruato-  
 ribus, maior est gloria legis quæ splenduit in facie  
 Moyfi: quia illa fuit tēporalis, & ut cunq; ferri po-  
 tuit & uideri ab alijs. Ista autē æterna erit, nec po-  
 tuit ferri ab apostolis, quando a dño ostensa est in  
 monte, quia statim lapsi sunt in terrā uelut mor-  
 tui. Quapropter laborandū est nobis omnibus,  
 ut obseruatores simus euangelij, quatenus ad illā  
 gloriam digni simus pertingere quam promittit.

Mat. 28.

Mar. 18.

**DOMINICA XIII. POST PEN-  
 tecosten. Marci. VII.**



In illo tēpore Exiēs  
 Iesus de finibus Tyri,  
 uenit per Sidonem ad  
 mare Galilææ. Et rel.

**S**upra retulit euange-  
 lica lectio, q̄liter do-  
 minus fines Tyri & Si-  
 donis appropinquās, fi-  
 liam mulieris Cananiti-  
 dis a dæmōnio liberauit.  
 Nunc autem & aliud mi-  
 raculū descripturus, non

frustra ipsa loca, per quæ ambulauit, commemo-  
 FF iij



randa putauit, dicens: [ Et iterum exiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. ] Tyrus & Sidon ciuitates fuere gentilium, quæ quondam filijs Isra-  
el in sortem datæ sunt, sed ab eis minime possessæ. In corde enim maris sitæ, non facile ab hostibus capiuntur. In hac Tyro fuit rex Hiram potentissi-

5 Re. 5.

Ieze. 27.

& 28.

mus, qui Salomonem in constructiōe domus do-  
mini plurimum iuuit. Contra quā Iezechiel pro-  
pheta multa locutus est, dicens eam in corde ma-

ris sitam, diuitijs locupletem, sed nec a uitijs uacu-

am. Nabuchodonosor quoq; regem Babylonæ,  
ad eius destructionem festinantē describit. Deca-

polis autem regio est trans Iordanem, decem ur-

beshabens, ut ipso nomine comprobatur. Nam

δέκα græce, latine decem: πόλις uero, in hoc loco

ciuitas dicitur, ex quibus (ut diximus) nomen re-

gionis decapolis est compositum. Sicut ergo Ty-

rus & Sidon ciuitas gentilium, gentilem signifi-

cant populum, sic Decapolis Iudaorum, qui ad su-

am eruditionem decalogū legis acceperat. Quod

autem ait, [ Venit per Sidonem ad mare Galilææ,  
inter medios fines Decapoleos ] non ipsos fines

eum intrasse, sed iuxta transisse significat. Quod

etiam a mysterij significatione non uacat. Quasi

enim fines Decapolis spiritaliter appropinqua-

uit, quando carnem ex Iudæis assumpsit, sicut dicit

Apostolus. Quorum patres, ex quibus Christus se-

cundum carnem, qui est deus benedictus in secu-

la seculorum. Non autem ipsos fines ingressus est,

quia ab eis nec cognitus, nec receptus est, sicut ipse

eis improperans, dixit: Ego ueni in nomine pa-

tris mei, & non recepistis me: si alius in nomine

Ro. 9.

Ioh. 5.



suo uenerit, ipsum suscipietis. Vnd per Iohānem dicitur: In propria uenit, & sui eū non receperūt. Ioh. 1.  
 Vel certe fines Decapolis appropinquauit, quando consortium humanæ naturæ accepit. Nō autē ipsos intrauit, quia communionē culpæ non habuit.

Et adducunt ei surdum & mutum.

Surdus iste & mutus, allegorice genus significat humanum, quod constat tam ex Iudæis, quam ex gentibus. Non est enim distinctio (ut Apostolus ait) Iudæi & Græci. Omnes enim peccauerūt, Ro. 3.  
 & egent gloria dei. Tunc autem genus humanum obsurdit, quando in primo parēte uerbis serpentis auditum aperuit. Post surditatem tunc loquendi officium perdidit, quando a laude dei cessauit. Ecc. 15.  
 Non est enim speciosa laus (ut ait scriptura) in ore peccatoris. Hi autē, qui surdū & mutum dño ad curandum adducunt, patriarchas & prophetas significant, qui spiritaliter dño ægrotum ad sanandum derulerunt. Quia ad eius liberationem, non solum domini incarnationem prædixerunt, sed etiam totis uiribus eam optauerunt. Vñ & subditur:

Et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. ¶ Manus domini in scripturis, aliquando potētiā diuinitatis significat, aliquando incarnationem humanitatis. Potentiā significat diuinitatis, sicut scriptum est: In manus tuas dñe Psal. 30.  
 commendo spiritum meum. Incarnationis humanitatem, sicut alibi legitur: Emitte manum tuā de Luc. 23. 9  
Psal. 145  
 alto. Ergo in hoc loco non incongrue manus dñi, incarnationis mysterium significat. Deprecantur autem eum, ut ei manum imponat, quia per hoc quod nostram mortalitatem accepit, genus hu-



manum ab infirmitate animi liberavit.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius. Quid est quod dominus sanaturus surdum & mutum, seorsum apprehendit? Nunquid non coram hominibus eum sanare poterat, qui cuncta creavit ex nihilo? Poterat utique. Sed prius ipsum a turba separat, & postea sanat, ut intelligat genus humanum se aliter sanitatem animæ non posse recipere, nisi prius pristinos errores relinquens, a turba immundorum spirituum, & tumultu uitiorum sese redderet alienum. Digitus autem dei in scripturis spiritum sanctum significat, sicut dominus alibi ait: Porro si in digito deiecio demonia. Quod alius euangelista manifestius declarat, dicens: Siego in spiritu dei eiecio demone. Iste est digitus, quem magi in Aegypto consuebantur, dicentes: Porro digitus dei est iste. Hoc digito tabulae testamenti scripte sunt. Et pulchre per digitum dei spiritus sanctus figuratur, quia sicut digitis aliquid constringimus, ut operemur, ita pater & filius omnia per spiritum sanctum operantur, Psalmista testante, qui ait: Verbo domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Huius digiti mirabilem operationem aspexerat quod dicebat: Quomodo uidebo celos tuos opera digitorum tuorum. Siue certe per digitum dei, recte spiritus sanctus designatur, quia sicut in nullis alijs membris tantam partitionem habemus, quantam in digitis, & tamen una est manus, sic eiusdem spiritus sancti dona cum sint in singulis diuisa, in eodem tamen spiritu sunt indiuisibilia. Vnde Paulus, enumeratis eiusdem spiritus sancti donis, adiunxit, dicens: Haec omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens sibi

Luc. 11.

Mat. 12.

Exo. 8.

Psal. 32.

Psal. 8.

Cor. 8.



gulis, put uult. Mittit ergo digitos in auriculas, ut surdo auditū restituat: quia ut aures cordis uerbum dei audire & spiritaliter intelligere possint, per spiritus sancti gratiam aperiuntur.

Expuensq; tetigit linguam eius.

Sputum ex capite descendit. Ergo per caput diuinitas, per sputum humanitas designatur, Apostolo dicente: Caput Christi, deus est. Sputo igitur linguam tetigit ut loquelam reciperet, quādo altitudinem suae diuinitatis usq; ad nostram inclinauit humanitatem. Quod alibi manifestius demonstrauit, quando oculos caeci nati aperuit. Lutum siquidem ex sputo fecit, & liniuit oculos eius

1. Cor. 11

Ioh 9.

Et suspiciens in caelum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire.

Sanaturus dominus aegrotum, in caelum suspexit, ut ostenderet omnia bona & sancta a deo esse petenda. Inde enim surdis auditus, inde mutis redditur loquela: quia sicut Iacobus apostolus ait: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum. Et sicut in euangelio dicitur: Non potest homo a se facere quicquā, nisi ei datū fuerit de super. [Ingemuit,] Nunquid indigeret aliquid postulare a patre cum gemitu, q cuncta postulata dat cum patre? Non. Sed ut exemplum nobis ostenderet gemendi, quoties uel pro nostris, uel p alienis peccatis intercedimus. Quod autem ait, [Epheta,] euangeliste exposuit, cum adiunxit: [quod est, adaperire,] Conuerudo est enim euangelistarum, ut aliquando ipsa uerba uel nomina hebraica cū ipsa sua expositione ponāt, sicut in euangelio Iohānis dicitur:

Iacob. 1.

Ioh. 9.

& 19.



Joh. 9.

Mar. 10.

Vade ad nataroriam Siloæ, q̄d interpretatur missus. Et in euangelio Marci, Bartimæus Timæi filius scribitur. Et Judas Zelotes idem est, qui & Judas Chananæus, quoniam Chanaan zelus interpretatur. Epheta ergo, q̄d est adaperire, proprie ad aures pertinet. Et pulcherrimo ordine dominus prius digitos in auriculas surdi mittit, deinde linguam sputo tetigit, & postremo ait: Epheta, quod est, adaperire, ut ordiuatissimum officium baptizandi sacerdotibus demonstraret. Quoniã hi qui baptizantur, prius spiritus sancti gratia sunt illuminandi, deinde a doctoribus instruendi, & postremo ad confessionem fidei uocandi. Vnde consuetudo est sacerdotum, ut eorum linguam & nares, quos catechizant, sputo tangant, ipsius domini uerba dicentes: [Epheta, quod est, adaperire.] Sed quia inter dicere dñi & facere nulla distinctio est, (Dixit em̄ & facta sunt, mādauit & creata sunt) statim ut dixit, Epheta, q̄d est adaperire,

Psal. 48

apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur recte.

Non enim enim erat dignū, ut is qui a domino curatus fuerat, aliter loqueretur, quam recte. Iuxta uero superiorem intelligentiam, postquam dominus per immissiōem spiritus sancti cor humani generis ad pœnitentiam emolliuit, postquam incarnationis suę mysterium patefecit, linguam, quam pri⁹ infidelitas uinxerat, fides absoluit, & deū laudare cœpit, dicens cum Psalmista: Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudē tuam.

Psal. 50.

Isa. 50.  
Iassus

Et cum Isaia: Dñs deus dedit mihi linguam eruditam, ut possim sustinere eū qui lapsus est, uerbo.



Et præcepit illis ne cui dicerent, Quid est, quod qui ad hoc in mundum uenerat, ut miracula faciendo se deum esse ostēderet, miracula se factum occultare præcepit? Nimia nobis exēplum ostendit, ut etiā in bono opere inanem gloriam & iactantiam caueamus, iuxta quod alibi ipse præcepit, ut intremus in cubiculū, & clauso ostio oremus patrē nostrū, & pater noster, qui uidet in abscondito, reddet nobis, Est autē hęc discretio in hac taciturnitate obseruanda, ut is qui nouellus est in cōuersatione, non solum ab officio p̄dicationis cesset, sed etiā sua bona opa ab aliorum aspectib⁹ abscondat, nesciēte sinistra sua, qd faciat dextera sua, ne forte radicē cordis, q̄ p̄funditas terræ nondū fortiter ligauit, uētus elatiōis eradicet. Qui autē diuturna cōuersatione p̄batus est, nō solum in p̄dicatione p̄ficere debet, sed etiam exemplo, implens illud quod dñs alibi ait: Luceat lux uestra corā hoībus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrē uestrum qui in celis est. Quod utrūq; dñs suo exemplo ostendit, quando præcepit uni, Nemini dixeris: alteri uero ait, Vade in ciuitatem ad tuos, & annuncia illis quanta tibi fecerit deus.

Matt. 6

Matt. 5

Marc. 1  
& 5.

Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. Hic tempora eorū redarguuntur, quibus officium prædicationis iniunctū est, & tamen a prædicatione cessant. Considerandum nanque est, quæ culpa sit doctoribus, post præceptum domini se sub silentio ponere, quando etiam nec illi tacere possunt, quibus p̄ceptum est, ne cui dicerēt. Quid autem dicant, audiamus:

Bene omnia fecit, & surdos fecit audire,



& mutos loqui. ] ¶ Non solum in hoc bene fecit quod surdos fecit audire & mutos loqui, sed etiam omnia, quae ab initio creauit, benefecit, sicut

**Gene. i.** scriptum est: Et uidit deus cuncta quae fecit, & erant ualde bona. ¶ Moraliter autem per surdum & mutum, quilibet peccator designatur. Qui enim auertit aures suas ne audiat legem, surdus est. Qui autem loquitur iniquitatem in excelsis, & seminat inter fratres discordias, etiam officio loquendi mutus est. Tales uero auditum & loquelam spiritalem recipere possunt, a magister & doctoribus ecclesiae domino adducuntur, Quasi enim aegrorum domino adducuntur, quando sua doctrina & exhortatione peccatores conuerti faciunt: & prohibent, quos conuerti uelle uiderunt, ad dominum preces fundunt. Nec differt pietas domini tales sanare, qui animarum uulnera uenit currere, tantum ut fides & satisfactio penitentium non desit. Nam satisfaciendi ordinem dominus ostendit, cum surdum & mutum curaturus, seorsum eum extra turbam educit, ostendens nimirum quia si peccatores fructus dignos facere uolunt, necesse est ut societatem demonum & tumultum uitiorum & carnalium hominum communionem deserant. Sicut enim bonorum societas multum adiuuat, sic cummunio carnalium hominum infirmis mentibus plurimum nocet, teste Psalmista qui ait: Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Et sicut Salomon ait, Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum, efficitur similis. Vnde & ipse alibi nos admonet, dicens: Non li esse amicus homini iracundo, nec ambules cum

**Psal. 17.**

**Pro. 13.**

**Pro. 22.**



uīro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas  
 scandalum animæ tuæ. Quasi enim de minus fide  
 les suos spiritualiter ab infidelium turba separabat  
 cum per Isaiam dicebat: Exite de medio eorum, **Isa. 52.**  
 & immūdum ne tetigeritis. Perfecti in medio pra-  
 uorum positi, scorsum manent, dum eorum pra-  
 uis operibus nec corde consentiunt, nec ore par-  
 cunt. Qualem solitudinem habebat ille, qui in so- **psal. 54.**  
 litudine regali positus, aiebat: Quis dabit mihi  
 pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam?  
 Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Sed  
 quia nullus dignam pœnitentiam agere potest, ni-  
 si spiritu sancti gratia cor eius ad pœnitendū emol-  
 liat, recte subditur: [Misit digitos suos] dominus  
 [in auriculas eius, & expuens, tetigit linguā eius.]  
 Quasi enim dominus digitos suos in auriculas  
 surdi misit, quando per ardorē spiritus sancti cor  
 peccatoris ad pœnitentiam emollit. Quia (ut ait **Rom. 8.**  
 Apostolus) quid oremus sicut oportet, nescimus,  
 sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus in-  
 enarrabilibus. Quasi autem sputo linguam muti  
 tangit, cum saporem diuinæ sapientiæ cor pecca-  
 toris degustat. Quantum autem dominus erga  
 cōuersos peccatores misericors existat, manifesta-  
 tur cum subinfertur. [Et statim aperte sunt aures  
 eius, & solutum est uinculum lingue eius, & loque-  
 batur recte.] Nullum enim peccatum tam ma-  
 gnum est, quod medicamento pœnitentiæ sanari **Ieze. 18.**  
 non possit. Non enim mentitur ille, qui ait: **& 33.**  
 Vivo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, sed  
 ut conuertatur, & uiuat. Et, Peccator in quacunq;  
 die cōuersus fuerit & ingemuerit, omnia peccata  
 eius obliuioni tradentur. Recte autem post curati



onem peccator loquitur, quādo linguam, quæ cō-  
uicij & derraçtionibus tortuosa fuerat, ad laudan-  
dum deum, & exhortandum proximum commu-  
tar. Sed quia post publicam pœnitentiam aliquis  
non statim ad prædicandum prodire debet, bene  
dicitur: [Et pœcepit illis ne cui dicerent.] Prius em̄  
femetiptum curare debet, qui aliena uulnera uult  
tergere. Vnde Apostolus, cum de ordinandis mini-  
stris ecclesiæ loqueretur, ait: Non nuper conuer-  
sum, non neophytum, ne forte elatus, in iudicium  
incidar diaboli. Quem autem diurnitas tempo-  
ris & perfectio pœnitentiæ idoneum reddit de fo-  
uea peccati etiam alios extrahere debet, iuxta il-  
lud quod in Apocalypsi dicitur: Qui audit, dicat,  
Veni. Vnde & bene dicitur: [Quanto autem eis pœ-  
piebat, tanto magis plus prædicabant, & eo am-  
plius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit,  
& surdos fecit audire & mutos loqui.]

1. Tim. 3.

Apo. 22.

DOMINICA XIII. POST PEN-  
teosten. ad Galatas iij.

**F**Ratres, Abraę dictæ sunt pmissiões &  
semini eius. Nō dicit singulari numero. Ab-  
raę dicta est pmissio & semini ei⁹. sed q̄a mul-  
tæ pmissiões ad eum factæ sunt, tam de terra  
re pmissiões, q̄ etiam de domino Iesu Christo,  
ideo pluraliter dixit Abraę dictæ sunt pmissiões  
& semini eius. Videamus & consideremus que  
sint illæ pmissiões, si forte inueniamus aliqd de  
nobis gētilibus ei pmissum. Prima pmissio fa-  
cta est ad eū, quando eum uocauit dominus, pro-  
mittēs ut si egrederetur de terra sua, futur⁹ esset in  
gētem magnā, & dicens: Exi de terra tua & de eo

Gen. 12.